re uel ab illo non tamen poteſt
eſſe uacuum ſimpliciter ab omni
corpore ⁊ quia in omni tali ua
cuo ⁊ in omni tali regione eſt ali
quod corpuſ manifeſtuꝫ eſt quo
niam omni corpori ſecundum tu
morem.i. ſecundum magnitudi
nem eſt aſſignare equale uacuum
.i. equalem locum ⁊ equalem re
gionem Notandum autem ꝙ
ſicut materia abſoluitur ab hac
forma uel ab illa nunq̄ꝫ tamen
abſoluitur a forma ſimpliciter
ita locus abſoluitur ab hoc cor
pore uel ab illo nunq̄ꝫ tamen ab
ſoluitur a corpore ſimpliciter eſt
ergo dare uacuū ſecunduꝫ quid
⁊ huiuſmodi uacuum non eſt ni
ſi regio uel locus priuatuſ corpo
re uno ⁊ plenus alio ⁊ ideo cui
libet regioni ⁊ cuilibet uacuo ē
adaptabile aliquod corpus.

Notandum etiam ꝙ per hoc

ratio prius aſſignata melius ap
paret nam ſi uiſio fit per poros
ut tranſeat inde uiſus uel res ui
ſa ſi illi pori ponuntur pleni ipe
diretur uiſio ſi autem ponuntur
uacui quia non poſſunt poni ua
cui ſimpliciter ſed oportet eos
ponere plenos aliquo corpore qꝛ
erunt in eis aliqua corpora rur
ſus contingit idem quia inpedie
tur acius uidendi. Uniuer
ſaliter. Oſtendit ꝙ uniuerſaliter
non eſt ponere poros ⁊ duo fa
cit quia primo facit quod dictū
eſt Secūdo epilogat ibi Quoniā
ergo. Dicit ergo ꝙ uniuerſaliter
poros facere ſuperfluum eſt ſi q̇
dem enim nihil facit. i. nihil agit
ſecundum contactum neqꝫ tranſi
ens per poros aliquid faciet cuꝫ
pori non faciant niſi ut agens at
tingat paſſum ſi autem in tangē
do ē uniuerſaliter actio ergo po
ris non entibus quia ſine eis po
teſt eſſe contactus hec patientur
hec facient ad inuicem modo in
natorum. i. modo quo ſunt apta
nata agere ⁊ pati Quoniā
ergo. Epilogat dicenſ ꝙ manifeſ
tum eſt ex hijs que dicta ſunt ꝙ
dicere ita eſſe poros ut quidam
exiſtimant aut eſt mendaciuꝫ qꝛ
falſum aut eſt inane. i. ſuperfluū
quia ſine eis poteſt ſaluari actio
⁊ paſſio Diuiſibilibus ⁊c̄
Improbat poſitionem pororum
quantum ad modum agendi ⁊
patiendi diceret forte aliquis nō
eſſe neceſſariū poros ponere ꝓp
ter actionem ipam ſed propter
modum agendi ut facilius fiat
actio nam per poros actiuuꝫ ſub
ingreditur paſſum ideo eſt mo
dicum agentis iuxta modicum
paſſi propter quod facilius fit
actio ⁊ paſſio ideo ait ꝙ corpo
ribus ſentibus omnino diuiſibi
libus ridiculum eſt poros face
re ſecundum id enim ꝙ diuiſibi
lia ſunt ſeperari poſſunt ⁊ pote
rit ſup̄ eſſe modicum vnius iux
ta modicum alterius abſqꝫ poſi
tione pororū ſicut apparet in mix
tione humidorum ergo ſuperflu
it poros ponere

Uno autem modo exiſ
tit. Ut ſuperius diceba
tur in parte iſta deter
minat phūs de agere ⁊
pati ſecundum propriam opinio
nem ⁊ duo facit quia primo con
tinuat ſe ad dicenda. ſecundo ex
equitur de intento ibi Accipien
tes. Dicit ergo ꝙ quomodo exiſ
tit generare. i. fieri in entibus
facere ⁊ pati dicamus ſup̄ ſecun
dum opinionē propriam ex quo
diximus quomō fit actio ⁊ paſ
ſio ſecundum opinionem aliorū
Accipientes. Exequitur de in
tento ⁊ duo facit quia primo in
ueſtigat conditiones agentis ⁊
patientis. ſecundo ex huiuſmodi
conditionibus uenatur defectuꝫ
antiquorum ponentiū per poroſ
actionem ⁊ paſſionem ibi Tunc
quidem. Circa primū duo facit
quia primo inueſtigat conditio
nes agentis ⁊ patientis ex parte
ipius actiui ⁊ paſſiui. ſecundo
ex parte modi agendi ⁊ patien
di ibi Magis autem. Circa p̄mū
duo facit ſm ꝙ duas tales cōdi
tiones inueſtigat. ſecūda ibi Nō
tū Dicit ergo ꝙ una conditio ac
tiui ⁊ paſſiui ſumi debet accipiē
do illud principium qȯ dictū ē
multociēs vꝫ ꝙ ſi hoc. ſ. paſſū ē
poteſtate. ſ. ē in potētia hoc aūt

.ſ. agens eſt in actu tale eſt innatū agere ⁊ pati eſt ergo cōditio ꝙ tale debet eſſe patiens in potētia quod eſt agens in actu

Non tum. ponit ſecundam conditionem ꝙ patiens debet eſſe paſſibile ſecundum quodlibet ſui non tamen debet pati.i. ſecūdum unam partem eſſe paſſibile tū aūt non pati.ſ.ſecundum aliā ptē nō pati ſ; oīno ſecundū ꝗcūꝙ .i. ſecundū ꝗcūꝙ partem debet eſſe tale Magis autem. Aſſignat conditiones agentis ⁊ patientis ſecundum modum agendi ⁊ patiendi ⁊ tria facit ſecundum ꝙ tales conditiones tres aſſignat . ſecunda ibi Continuum.tercia ibi Similiter autē Dicit ergo ꝙ patieus debet pati magis ⁊ minus ſecundum ꝙ eſt magis ⁊ min⁹ tale.i.magis ⁊ minus diſpoſitum ⁊ addit quomodo poteſt ex hoc uerificari poſitio de poris dicens ꝙ hac intentione dicet aliquis magis ꝯgrue circa poros ut dicimus poros nihil aliud eſſe ꝗ partes magis paſſiuas ut apparet in metallis.i. in mineris ubi fodiuntur metalla ubi extendunt ſe uene cōtinue paſſiue ⁊ ſi tales uenas ⁊ tales ptes paſſiuas uellemus appellare poros contingit poros eſſe.

Continuum. Aſſignat ſecundam conditionem ꝙ paſſiuum ſit continuum ⁊ vnum unum quodꝙ.i. ſecundu; vnū quodꝙ ⁊ per omnem modum ꝙ non ſit ſcindibile nec ſuſcipiat peregrinas impreſſiones eſt inpaſſibile ens Similiter.ponit terciā conditionem ꝙ nō appropinquātia nec ſibi ipis nec alijs que ſūt apta nata facere ⁊ pati .i. quando agens non appropinquat paſſo nec per ſe ipm nec mediu; nō fit paſſio ⁊ exponit quid eſt paſſio appropinquare alijs ⁊ per medium dicens uerbi gracia non ſolum ignis tangens calefacit aliquod corpus ſed etiam ſi longe ſit poteſt ipſum calefacere ut ſi ignis calefacit aerem aer autem calefacit corpus remotu; ab igne ut aer eſt innatus facere ⁊ pati. Notandum autem tres has conditiones eſſe ex modo ⁊ ordine agendi ⁊ patiendi quia ut paſſum ordinatur ad agens debet eſſe aliquo modo diſpoſitum debet eſſe ſcindibile debet eſſe approximatum uel per ſeipm uel per medium Cum quidem .Ex conditionibus aſſignatis inueſtigat defectum antiquorum ⁊ duo facit quia primo oſtendit quomodo paſſum patiť ſecundum quodlibet ſui Secundo aſſignat defectum antiquoꝝ ibi Si autem. Dicit ergo ꝙ extimare corpus tum pati tum autē non pati ſecundum quodlibet ſui ut determinemus ⁊ declaremus iſtud dicendum ⁊ reſumendum eſt quod in principio texigimus dictum autem fuit in pricipio cum ſoluebatur dubitatio demo.⁊ oſtendebatur quomodo latebat paralogizantes ꝙ magnitudo eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia ſi ergo non eſſet magnitudo diuiſibilis in ſemper diuiſibilia ſed ſup relictū ex diuiſione eſſet corpus indiuiſibile aut latitudo non erit utiꝙ corpus paſſibile ſecundum quamlibet partē ſui quia pars indiuiſibilis non poteſt ēē ſuſceptibilis paſſionis ſ; n; cōtinuū nullum eſſet corpuſ

ſupp̄ ſi ſtaret diuiſio ad indiuiſi bilia Eſt ergo hec talis rō ꝙ corpus patitur ſecunđ omne ſui quia eſt diuiſibile ſecundum partes omnifariam diuiſibiles licet ergo indiuiſibile non ſit ſuſceptiuū paſſionis tamen quia nulla pars eſt indiuiſibilis ſecundum omne ſui corpus eſt paſſibile

Si autem. Aſſignat ex hoc defectum antiquorum Ad cuius euidentiam notandū eſt antiquos phōs ponentes poros in hoc defeciſſe quia credebant corpus actu oportere diuidi ut fiat actio ⁊ paſſio quod non eſt uerum ſufficit enim corpus eſſe diuiſibile ut hoc fiat poteſt enī aer ſucceſſiue per partes calefieri abſq; eo ꝙ una pars diuidatur actu ab alia parte Duo ergo facit in huiꝰmodi defectum aſſignando quia p̄mo dicit ꝙ nō oꝫ ponere paſſuꝫ ēe actualiter diuiſum ad hoc ꝙ patiatur Secundo aſſignat incōuenientia que ſequuntur hoc ponentes ibi Uniuerſaliter. Dicit ergo ꝙ ſi hoc eſt mendatium ꝙ corpus eſt diuiſibile in indiuiſibilia ſed eſt diuiſibile omne .i. ſecundum omnem partem nihil differt dicere diuidi corpuſ in actu aut agenſ tangere corpus actu diuiſum aut eſſe diuiſibile quia poteſt fieri paſſio abſq; eo ꝙ diuidatur in actu nam ſi corpꝰ poteſt ſegregari ſecundum tactus ut quidam dicunt ⁊ ſi nondum diuiſum eſt actu poſſibile erit diuiſuꝫ ēe ſecundum tactum enī ꝓ quia poſſibile eſt eſſe diuiſum ſup̄ ſecundum quantitatē Notanduꝫ autem ꝙ diuidi ſecundū tactum eſt diuidi ſecundum actionem agentis tunc enim aer diuiditur ſecundū tactuꝫ ignis quando prius tangit ⁊ calefit ab igne ſecundum unam partem ꝙ̄ ſecū dum aliam eſt ergo intentio phi ꝙ ad hoc ꝙ paſſuꝫ didatur ſecū dum tactum agentis non oportet ꝙ ſit actu diuiſum ſecunduꝫ quantitatem ſed ſufficit ꝙ ſit potentia diuiſibile Uniuerſaliter ⁊c. Aſſignat inconuenientia que ſequntur ponentes ꝙ ut fiat paſſio neceſſe eſt corpus actu diuidi ſecundum qualitatem ⁊ diſcontinuari ⁊ duo facit ſecunđ ꝙ duo inconuentia adducit primo enim oſtendit ꝙ hec poſitio deſtruit alterationem. ſecundo ꝙ deſtruit augmentum ibi Amplius. Circa primum duo facit quia primo premittit quod intēdit. Secundo manifeſtat quod dixerat ibi Uidemuſ enim. Dicit enim ꝙ dicere uniuerſaliter .i. abſolute ⁊ generari ſimpliciter hoc modo actionem ⁊ paſſionem ſciſſis .ſ. corporibus ita .ſ. ꝙ non poſſit fieri paſſio niſi corpora actu ſcindantur hic ſermo eſt inconueniens quia deſtruit alterationem Uidemus Manifeſtat quod dixerat ⁊ duo facit ſecundum ꝙ hoc dupliciter manifeſtat. ſecunda ibi Neq; autem ⁊c. Dicit ergo ꝙ predicta poſitio repugnat apparenti alterationi uidemus enim idem corpus continuuꝫ exiſtens non ſciſſum quandoq; quidem humidum quādo ꝙ coagulatum ⁊ hoc non eſt patiens nec diuiſione nec compoſitione ut ꝙ athomi diuidantur uel componantur ad inuiceꝫ nec conuerſione ut ꝙ athomi ſuperiores fiant inferiores nec ordine ut ꝙ poſteriores fiant āteriores

uel econuerſo ut dicebat demo. ergo corpus quod non eſt traſac tum uel tranſpoſitū ꝙ pars ante rior fiat poſterior nec eſt tranſ miſſum ꝙ pars ſuperior fiat infe rior.i.nullam ſciſſuram nullaȝ di uiſiouem eſt paſſum in partibus ⁊ tamen ex humido generatuȝ ⁊ factum eſt coagulatum poteſt ēe alteratio abſqȝ actuali diuiſione

Neqȝ autem.Manifeſtat hoc alio modo ⁊ dicit ꝙ facta tali al teratione corpori ſic coagulato nūc de nouo non inſunt corpora dura ⁊ coagulata ⁊ indiuiſibilia tumoribuſ.i.ſecundum magnitu dinem ſed ſimiliter omne.i.totū non habēdo alias partes uel plu res non diuiſum quandoqȝ qui dem eſt humidum qnandoqȝ q̇ dem eſt durum ⁊ coagulatuȝ.

Notandum autem ꝙ hic ait phūs humidum fieri coagulatuȝ abſqȝ eo ꝙ inſunt ei corpora du ra ⁊ coagulata ad remouendum opinionem demo.qui cuȝ pone ret actionem ⁊ paſſionem fieri p corpora indiuiſibilia uoluit hu midum fieri coagulatū niſi alia corpora indiuiſibilia dura ⁊ coa gulata ſubingrederētur illud hu miduȝ Amplius. Oſtendit hanc opinionem deſtruere aug mentum ponebant antiqui alim tum ingredi poros aliti ⁊ ſic aug mentare ip̄m ſed ſi hoc eſſet nun q̄ȝ creſceret ip̄m alitum ſed ſoluȝ pori eius erant repleti ſicut non creſceret murus in altum ſi fora mina eius obturarentur.ideo ait ꝙ ſecundundum hanc poſitionē non eſt poſſibile eſſe augmenta tionem ⁊ diminutionem quia hͦ poſito quodcunqȝ.i.quelibet pſ aucti non erit factum quid maiꝰ ſed ſolum erit appoſitio ad illos poros pmo ſecundum hanc poſi tionem non ponitur augmentuȝ eo ꝙ alimentnm conuertatur in membrum ideo hoc poſito cibꝰ non erit tranſmutatus ⁊ alteranſ membrum ⁊ membrum non erit aliquid aliud mixtum propter ip̄m cibum quia cibus nō admiſ cebitur membro nec ingredietur ip̄m proprie ſed ſolum ſubintra bit uacuitates eius ⁊ membrum non erit ſecundum ſe tranſmutāſ ip̄m alimentum que omnia req̄ runtur ad augmentationem.

Quid igitur Epilogat dicens ꝙ quid eſt generare ⁊ facere ⁊ ge nerari ⁊ pati ad inuicem ⁊ quo modo contingit ſecundum ueri tatem ⁊ ꝙ non contingat agere ⁊ pati quomō iquiunt ⁊ loquti ſunt ātiq determinatū ſit hͦ mō

Eliquū autem. Poſtq̄ȝ phūs determinauit de actione ⁊ paſſione ⁊ de tactu hic tercio deter minat de mixtione ⁊ duo facit quia primo continuat dicta di cendis .ſecundo exequitur de p poſito ibi Scrutandum. Dicit er go ꝙ reliquū uidendum eſt de mixtione ſecundum eundem mo dum methodi .i. ſecundum eun dem modum artis ſuperius tac te hec enim .ſ.mixtio fuit terciuȝ propoſitorum a principijs exequ tis ergo duobus ut de actione ⁊ tactu ſecundum illam methodū reſtat de mixtione exequi

Scrutandum ⁊c. Exequitur de intento ⁊ duo facit quia pri mo enumerat que ſunt dicenda de mixtione Secundo de illis exe quitur ibi Inpoſſibile ē Dicit gͦ

ſcrutanduꝫ eſt quid eſt mixtio ⁊ q̇d eſt miſcibile ⁊ quibus entiuꝫ .i. qualibus entibus exiſtit mixtio ⁊ quomodo fiat mixtio amplius utrū ne eſt mixtio aut ē mēdaciuꝫ eſſe mixtionem Impoſſibile. Incipit inquirere de p̄dictis Ad cuius euidentiam notandum ꝙ cum quinq; ſint propoſita inter ea tamen duo ſunt ex quorum declaratione dependet ueritas aliorum nam ſi ſciremus an ſit mixtio ⁊ quomodo fiat mixtio ſciremus quid eſt mixtio ⁊ que ſunt miſcibilia ⁊ quib⁹ .i. qualibus entibus exiſtat mixtio ſiue qualia entia ſunt miſcibilia duo ergo facit quia primo inquirit an ſit mixtio ⁊ quomodo fiat mixtio Secūdo ex declaratione horum inquirit ueritatem aliorum queſitorum. ſecunda ibi Manifeſtum igitur. Circa primū duo facit quia p̄mo inquirit an ſit mixtio. ſecundo quomodo fiat mixtio ibi Continuū hijs. prima diuiditur in duas quia p̄mo obicit mixtionem non eſſe ſecundo huiuſmodi obiectionem ſoluit ibi Hic quidem. Miſcibilia autem tripliciter ſe haberi poſſunt quia uel ambo manent uel ambo ſunt corrupta uel alterum eſt corruptum ⁊ alterum manet Tria ergo facit quia primo oſtendit mixtionem non eſſe ſi ambo miſcibilia maneant. ſecundo oſtēdit non eſſe mixtionem ſi alteruꝫ corrumpatur. tercio oſtēdit hoc non eſſe ſi ambo ſint corrupta. ſecunda ibi Altero autem ⁊c̄. tercia ibi Eodem auteꝫ. Dicit ergo quemadmodum quidam dicunt inpoſſibile eſt alterum alteri miſceri quibus mixtis adhuc entibus .ſ. permanentibus ⁊ non alteratis non magis inquiunt mixta eſſe ꝙ̄ prius ſed contingit h⁹modi miſcibilia conſimiliter ſe hr̄e nūc ⁊ p̄us ſi g° p̄us non erat mixtio nec mō n̄ e g°⁻ mix° ſi ābo miſcibilia maneāt Altero aūt Oſtendit mixtionem non eſſe ſi alterum corrumpitur dicens ꝙ altero corrupto non contingit mixta eſſe ſed hoc .ſ. manens contingit eſſe hoc autem .ſ. corruptuꝫ non eſſe ⁊ quia mixtio eſt ſimiliter ſe habentiū cum hoc poſito mixta non ſe habeant ſimiliter ſed unū ſit corruptum ⁊ aliud manens non erit ibi mixtio.

Notandum autem ꝙ mixta debent ſe habere ſimiliter ⁊ non ſimiliter ſed debent habere ſimiliter ut ſunt in mixto quia nullū eorum debet eſſe in actu ſed qōlibet in potentia ſed ante mixtionem ⁊ poſt non debent ſe habere ſimiliter quia ante mixtionem debent eſſe in actu cum uero ſūt in mixto debent eſſe in potentia prima ergo ratio oſtēdebat mixtionem non eſſe manentibus miſcibilibus quia ſe habebant ſimiliter miſcibilia ante mixtionem ⁊ poſt. Secunda uero ratio oſtendit mixtionē non eſſe altero miſcibilium corrupto quia non ſe habent ſimiliter ut ſunt mixta ⁊ ſic ſoluitur contrauerſia que uidetur in textu eſſe cum primo p̄betur mixtionem non eſſe quia miſcibilia ſe habent ſimiliter. ſecundo uero oſtendit hoc non ēe quia non ſe habent ſimiliter.

Eodē aūt. Oñdit mixtionē nō eſſe ſi ābo miſcibilia ſint corrupta dicēs eodē mō mixtionē nō ēe .ſ. ābob⁹ miſcibilib⁹ corrūpētib⁹

corruptum est alterum mixtorum nam cum miſcibilia ſint corrupta ⁊ nullatenus ſint entia mixta eſſe non poterunt Hic quidem. Soluit obiectiones factas ⁊ duo facit quia primo dat modum ⁊ uiam ad ſoluendum predicta Secundo illam uiam proſequitur ibi At uero. Dicit ergo ꝙ iſte ſermo uidetur querere quid differt mixtio a generatiōe ⁊ corruptione ⁊ quid differt miſcibile a generabili ⁊ corruptibili naꝫ manifeſtuꝫ eſt ꝙ ſi eſt mixtio oportet eam differre a talibꝰ traſ mutationibus ⁊ ſubdit quomodo hoc ualeat ad queſita dicens ꝙ manifeſtis hijs entibꝰ vꝫ quō dr̄t mixtio ab hiis queſitis ſoluētur At uero neqꝫ. Proſequitur dictam uiam ⁊ duo facit qꝛ primo ſeperat mixtionem ab hꝰ modi transmutationibus . ſecundo ſoluit ex hoc obiectiones factas .ſecunda ibi Quoniam autē Notandum autem ꝙ mixtio nō ſolum differt a generatione ſed etiam ab augmento ⁊ alteratiōe ad generationem autem concurrunt materia ⁊ forma ad augmētum autem nutrimentuꝫ ⁊ nutritum ad alterationem ſubiectum ⁊ accidens ⁊ quia materia non miſcetur forme nec cibus corpori nec figura cere mixtio nec ē generatio nec augmentum nec alteratio Tria ergo facit quia primo ſeperat mixtionem a generatiōe ſecundo ab augmento. tercio ab alteratione.ſecunda ibi Secunō autem.tercia ibi Neqꝫ figuram . Dicit ergo ꝙ materia non dicit̄ miſceri igni neqꝫ ignem dicimus miſceri combuſtibili cū exardet ipm ita ꝙ combuſtibile quod ē quaſi materia ignis nec miſcetur ipꝫ igni ſecundum ſe totum nec etiam ipis particulis ignis ſi quidem dicimus ex tali combuſtione generari hanc autem materiā .ſ.combuſtibile dicimus corrumpi propter quod differt mixtio a generatione Secunduꝫ.Seperat mixtionem ab augmento dicens ꝙ ſecundum eundem moduꝫ ſupple differt mixtio ab augmento quia cibum non dicimus commiſceri corpori cibato quia tale corpus manet cibus autem corrumpitur Neqꝫ figuraꝫ. Seperat mixtionem ab alteratione ad alterationē enī concurrunt ſubiectum ⁊ accidens oſtendere mixtionem ab alteratione differre eſt oſtendere ſubiectum ⁊ accidens non eſſe miſcibilia Tria autem facit nam primo dicit ꝙ nō poteſt miſceri accidens ſubiecto Secundo oſtendit ꝙ accidens nō miſcetur accidenti Tercio ex hijs que dixerat increpat opiniones antiquorum quorundā phi loſophantium. ſecunda ibi Sed tamen . tercia ibi Sed hec Dicit ergo ꝙ non dicimus figuraꝫ mixtam cere figurare tumorem .i. ꝗ̄titatem cere quaſi dicat ꝙ figura ⁊ cera non ſunt miſcibilia quantum ad artificialia nec corpus ⁊ album miſceri poſſunt quantuꝫ ad naturalia ⁊ totaliter.i.uniuerſaliter paſſiones ⁊ habitus ſiue ſint naturales ut albedo corpori ſiue artificiales ut figura cere nō contingit eſſe mixta rebus.i. ſubſtātijs ſuis ⁊ eſt ratio quia talia ſaluata eſſe uidentur nam paſſio manet paſſio ⁊ ſubiectuꝫ manet ſubiectum miſcibilia autem non manent actu in mixto

Sed tamen. Oſtendit paſſiones non eſſe inuiſibiles ad inuicē dicit ꝙ non conuenit ſimul miſceri diſciplinam ⁊ album nec aliquid aliud de numero non ſeperabilium quaſi dicat miſcibilia poſſunt habere per ſe eſſe ⁊ ſūt ſeperabilia accidentia autem nō ſunt huiuſmodi ergo miſceri nō poſſunt Sed de hoc. Increpat ex hoc opinionem antiquoꝝ quorūdaꝫ dicens ꝙ non bene dicunt quidam omnia aliquando ſimul fuiſſe mixta non enim omnino omni miſcibile eſt ſed oportet exiſtere ſeperabile utrūqꝫ mixtoꝝ paſſionū aūt nulla eſt ſeperabilis Notandū autē ꝙ uidet̃ fuiſſe opinio anax. omnia fuiſſe mixta ut patet ex p̄mo phiſicoꝝ Quoniam autem. Ex differētia mixtionis ad alia ſoluit obiectiones factas nam dicte obiectiones querūt quomodo miſcibilia maneant ⁊ ſunt in mixto hec autem non manent ut penit⁹ corrupta cum mixtio differat a generatione ⁊ corruptione nec manēt ſaluata cū differat mixtio ab alteratione quia non manent miſcibilia ſaluata ut manent albedo ⁊ corpus cum ergo queritur ſi ē mixtio aut manent ambo miſcibilia aut neutrū aut alteruꝫ dici debet ꝙ manent ambo miſcibilia potentia ⁊ uirtute ſed neutꝝ manet actu ⁊ ſecunduꝫ eſſe duo ergo facit phūs q² p̄o dicit qūo miſcibilia manent ⁊ quomodo non manent. ſecundo quod dixerat manifeſtat ibi Uidentur. Dicit ergo ꝙ entiū hec quideꝫ ſunt potentia hec actu mixta ergo ut ſunt in mixto contingit qualiter eſſe quia ſunt potentia contingit autem qualiter non eſſe quia nō ſunt actu nam actu aliud eſt generatū ex ip̄is mixtū ergo eſt in actu quod generatur ex miſcibilibus non autem miſcibilia ſunt in actu ſed potentia q² ad huc utrumqꝫ miſcibilium ſunt potentia ut ip̄a redeant ad naturaꝫ ſuam. i. ut ſint que erant anteqꝫ miſcerentur ⁊ cum erant partita . i. diuiſa ⁊ addit ꝙ hic ſermo q̄ſiuit prius . i. fuit primo queſitus obiectiones eni p̄us facte ſolū q̄rebant hoc. ſ. quomodo miſcibilia ſunt in mixto Uidetur. Manifeſtat qđ dixerat . ſ. ꝙ miſcibilia non manent actu ſed potentia dicens ꝙ que miſcentur ex prius ſeperatis fiunt conuenientia ⁊ ſunt poſſibilia rurſum ſeperari igitur miſcibilia non manent actu ut corpus ⁊ albū quia tunc ex eis non fieret aliqđ unuꝫ nec corrumpuntur ſup̄ omnino neqꝫ alteꝝ nꝫ ambo manent eniꝫ uirtute ⁊ potentia ſaluatur eni ū tus eoꝝ ⁊ quia de hiis utrum ſit dare mixtionem ſufficienter dictum eſt ideo hec relinquentur.

Ontinuam auteꝫ. poſt q̄ꝫ philoſo. uenatus eſt utrū ſit poſſibilis mixtio in parte iſta uenat̃ quomodo contingat mixtionem fieri ⁊ duo facit quia primo ponit circa hoc opinionem alioꝝ ſecundo opinionem propriā ibi Sunt utiqꝫ. Circa primū duo facit quia primo ponit opiniones alioꝝ . ſecundo eas improbat ibi Qñ autē Ad euidentiam aūt dicendoꝝ notandum omnes antiquos in hoc defeciſſe quia nō ponebant mixtionem fieri per

mutuā transſmutationē ita ꝙ ex miſcibilibꝰ reſultaret natura una comunis media ſʒ ponebāt mixtionem fieri ex eo ꝙ minimum unius ponebatur iuſta minima alterius Sed minimum trplici ter ſumi poteſt licet ſecundum ſenſum ſecundum formam ⁊ ſecundum quantitatem . Prima ergo pars in tres partes diuiditur quia primo ponit opinioneʒ ponentium mixtionem q̄tū ad minima ſecundū ſenſū. ſecundo q̄tū ad minima ſecūdū formā. tercio q̄tū ad minima ſecundū q̄titatem . ſecunda ibi Aut nō ſunt. tercia ibi Si autem. Continuetur aūt ſic oſtenſuʒ eſt an ſit mixtio ſed dicendū eſt ulterius quōem continuā hijs que dicta ſunt vʒ quomodo ſit mixtio ⁊ utrum ſit mixtio ad ſenſuʒ ut dicamus q: tunc miſcibilia mixta ſunt quando que miſcētur in ita parua diuiduntur ⁊ ponunt̄ hoc modo ad inuicem ut unūquodq̄ miſcibiliū non ſit manifeſtū ſecundū ſenſum ita ꝙ fiat mixtio q̄tū ad mima ſecundū ſēſū Aut nō ſunt ponit ſecundam opinioneʒ que ponebat mixtionē q̄tuʒ ad minima ſecundū formaʒ dicens aut non ſunt ſup̄ mixta q̄tuʒ ad minima ſecundū ſenſū ſed tamē quecunq̄ particula ſup̄ ſecundū formā ſit ſecū quācunq̄ particulam mixtoꝛuʒ illo modo dicitur mixtio uerbi grā oꝛdeū eſt mixtū frumento quando quodcūq̄ granū oꝛdei ponetur ſecus quodcunq̄ granū frumenti Notandū autem ꝙ unū granū oꝛdei ul̄ frumenti non eſt minimū ſcōʒ ſēſum quia poſſumus ſentire mīꝰ vno tali grano nec eſt minimū ſecundum q̄titatem quia quodlibet tale granum q̄titatiue ē diuiſibile in ſemper diuiſibilia ſed eſt minimū ſcōm formā q: diuiſo uno grano frumenti nō ulterius uidetur ibi reſeruari talis ſpecies ideo de mimo ꝑm formā u̅r hanc opionem intelligēdam eſſe

Si autē ē. Poit terciā opionē que dicit ꝙ ſi coꝛpꝰ eſt diuiſibile ōme .i. totaliter ⁊ coꝛpus ē diuiſibile coꝛpoꝛi omiomeros .i. ſcōm unā ⁊ eandē rōm in toto ⁊ in p̄tibus opoꝛtet quodcunq̄ .i. p̄tem quācunq̄ minimā ſcōm q̄titatē fieri ſecus partē quācunq̄ ita ut ſit mixtio tatoliter ⁊ ſcōm minimā q̄titatem Quoniā aūt Improbat pꝛedictas opiniones ⁊ tria facit quia pꝛimo ip̄ꝛobat ſecundā. ſecundo impꝛobat pꝛimam .tercio impꝛobat terciā. ſecunda ibi Si aūt. tercia ibi Neq̄ diuiſione. Circa pꝛimū duo facit ſecundū ꝙ duas rationes adducit ſecunda ibi Neq̄ habebit eadem. Dicit ergo quoniā autē nō eſt diuidi minima ſup̄ ſcōm foꝛmam ut compoſitio taliū ſit mixtio quia neq̄ idem eſt compoſitio ⁊ mixtio ſed aliud quod pꝛo quia neqʒ que miſcentur ſup̄ ſecundum parua ſaluata .i. ſecunḋ minima in quibus ſaluetur foꝛa ⁊ ſpecies talia eni non contingit dicere eſſe mixta erit eni ibi opoſitio ⁊ nō praxis .i. opatio ⁊ trāſmutatio ⁊ p oñs nō mixtio Eſt ergo uis rōis ꝙ q̄tū ad minima ſecundū foꝛma nō eſt mixtio q: talia manent intranſmutata ꝑm ſuam ſpēm ⁊ ſaluata Neqʒ habebit . Ponit ſecundā rōm nā ſi ſic eſſet mixtio ps nō haberet eandē rōm cū toto q: non quelʒ

pars eſſet mixta dicimus tamen
hoc opoꝛtere ſi mixtum eſt aliq̄d
opoꝛtet enim mixtum eſſe omio
meros .i. eiuſdem rationis in to
to ⁊ in partibus ut quemadmo
dū quelibet pars aque eſt aqua
ita ⁊ quelibet pars temperati .i.
mixti debet eſſe mixta nō ergo ē
mixtio quantuȝ ad minima ſecū
dum foꝛmam quia ibi eſſet aſſig
nare partem non mixtam. Si
aut ſecunduȝ. Impꝛobat opinio
nem pꝛimam ponentē mixtioneȝ
q̄tū ad minima ſecundū ſenſum
dicens ꝙ ſi fiat mixtio quantuȝ
ad parua ſecundum ſenſum mix
tio idem eſſet ꝙ cōpoſitio ⁊ hoc
poſito nihil contingeret hoꝛum
que ad mixtionem requiruntur
ſi ſoluȝ diceremus ꝙ mixta eēnt
ad ſenſum in mixtione requirit
enim ꝙ quelibet pars mixti ſit
mixta ⁊ ꝙ miſcibilia non mane
ant actu ſed ſi fieret mixtio ad ſē
ſum nihil hoꝛum eſſet manerent
enim miſcibilia ⁊ non quelibet
pars mixti eſſet mixta Et ulteri⁹
eſt inconueniens hoc dicere quia
idem huic eſſet mixtuȝ ſi non ui
detur acute linceo autem qui a
cute uidet non uidebitur mixtuȝ
quia non latebit uiſum eius q̄ð
poteſt latere uiſum alterius.

Neq̧ diuiſione ⁊c̄. Impꝛobat
opinionem de minimo ſecunduȝ
quantitatem dicens ꝙ neq̧ diui
ſione quātitatiua ſup̄ contingit
mixtionem fieri ut quecunq̧ ps
ſit ſecus quamcunq̧ partem naȝ
inpoſſibile ita eſt diuidi coꝛpus
.ſ. in minima ſecundum quanti
tatem aut ergo non erit mixtio
aut dicendum eſt rurſus ſecunð
opinionem pꝛopꝛiam quomodo
contingit fieri hoc .ſ. fieri mixtio
nem Sunt utiq̧ . Oſtendit
quomodo ſit mixtio ſecundum
opinionem pꝛopꝛiaȝ ⁊ duo facit
quia pꝛimo pꝛemittit quedaȝ ne
ceſſaria ad pꝛopoſituȝ Secundo
oſtendit quomodo fiat mixtio
ibi Actiuoꝛuȝ . Circa pꝛimū duo
facit ſecundum ꝙ talia duo pꝛe
mittit ſecunda ibi Hoꝛū quidem
Dicit ergo ꝙ ut prius diximus
quedam entia ſunt actiua ⁊ paſ
ſiua ab hijs .i. ad ſe inuicem ⁊ q̄
dam non ⁊ addit ꝙ hoc conuer
titur quia quoꝛuȝ eſt eadem ma
teria ſunt actiua ad inuiceȝ ⁊ paſ
ſiua ⁊ econtra ⁊ que faciunt .i. q̄
agunt inpaſſibilia entium coꝛuȝ
non eſt eadem materia ⁊ ecōuer
ſo Hoꝛum quidem . Ponit
aliud pꝛeambulum dicens ꝙ ho
rum non habentium eandem ma
teriam non eſt mixtio ideo medi
cina .i. ars medicine non facit ſa
nitatem miſcendo ſup̄ ſeipi neq̧
ſanitas eſt mixta coꝛpoꝛibus

Eſt notandum autem ꝙ ars
medicine non comunicat in ma
teria cum ſanitate quia talis ars
eſt in anima ſanitas pꝛopꝛie in
coꝛpoꝛe rurſus ſanitas nō comu
nicat in materia cum coꝛpoꝛibuſ
quia coꝛpoꝛa habent materiam
ex qua ſanitas uero ⁊ omnia ac
cidentia non habent materiam
ex qua ſed in qua. Actiuo
rum ⁊c̄. Poſtq̧ oſtendit ꝙ conue
nientia in materia ſunt ad inui
cem paſſibilia ⁊ miſcibilia nō co
municantia uero nec agunt paſſa
nec miſcentur ad inuicem in par
te iſta ex iſtis pꝛeambulis oſten
dit quomodo fiet mixtio ⁊ duo
facit quia pꝛimo oſtendit quo
modo nō contingit fieri mixtio
nem Secundo uero quomodo

contingit eam fieri. ſecunda ibi
Quando autem ⁊c̄ Dicit ergo ꝙ
quecunqꝫ de numero actiuorum
⁊ paſſiuoꝝ ad inuicem. ⁊ comu
nicantia in materia ſunt facile di
uiſibilia ſed in talibuſ multa miſ
centur paucis ⁊ magna paruis
ſic compoſita non faciunt mixti
onem ſed augmentationeꝫ domi
nantis vincunt eniꝫ magna ⁊ nō
miſcentur cuꝫ paruis ſed augmē
tantur ex eis tranſmutatur enim
alterum .i. paruuꝫ in dominans
.i. in magnum ⁊ in multum ideo
ſi gutta uini ponatur in mille mi
lijs amphoꝛis aque non miſcet̄
.i. non eſt ibi mixtio ſoluitur eni
ſpecies uini ⁊ tranſmutatur .i. cō
uertitur in omne .i. in totaꝫ aquā

Quando autem ⁊c̄. Oſtendit
quomodo fit mixtio dicens ꝙ
quando miſcibilia adequantur
equaliter .i. aliqualiter potentijs
tunc utrumqꝫ ex natura ſui ipſius
tranſmutatur in dominans .i. in
naturam mediam que domina
tur in mixtione ideo ait ꝙ non
generatur ibi alterum miſcibiliū
ita ꝙ unū totaliter dominetur ⁊
conuertat ad naturā ſuā alteruꝫ
ſed generatur ibi medium comu
ne .i. aliqua natura media in qua
non actu ⁊ ſecundum eſſe ſed po
tentia ⁊ uirtute reſeruatur utruꝫ
qꝫ miſcibilium cum ergo queri
tur quomodo fit mixtio dicenđ
ꝙ fit miſcibilibus mediantibus
comunicantibus in materia ⁊ ac
tiuis ⁊ paſſiuis ad inuicem adeq̄
tis in potētia ⁊ uirtute

Manifeſtum igitur ⁊c̄.
Poſtqꝫ philoſophuſ oſ
tendit an ſit mixtio ⁊
quomodo ↄtingit mix
tionem fieri in parte iſta ſoluit a
lia queſita quoꝝ ueritas depen
det ex declaratione hoꝛum ⁊ tria
facit ſecundum ꝙ tria ſunt talia
queſita Naꝫ pꝛimo oſtendit que
ſunt miſcibilia Secūdo declarat
quibus ⁊ qualibus entibus exiſ
tit mixtio ſiue qualia ſunt miſci
bilia Tercio oſtendit quid ē mix
ſecunda ibi parua autem. Tercia
ibi Mixtio autem. Oſtendit er
go que ſunt miſcibilia dicenſ ma
nifeſtum eſſe ꝙ miſcibilia ſunt ɋ̄
cunqꝫ de numero facientium .i.
agentium habēnt contrarietateꝫ
⁊ eſt ratio quia talia ſūt paſſiua
ad inuicem Et parua. Oſtē
dit qualia ſunt miſcibilia bene ſi
ne quibus ⁊ qualibus entibus
exiſtat mixtio ⁊ duo facit quia ꝑ̇
mo oſtēdit qualia ſunt bene miſ
cibilia Secundo declarat qualia
non ſunt bene miſcibilia ibi Quā
ſūt. Dicit ergo ꝙ ꝑua poſita ſe
ↄ⁹ꝑuis magis ſunt miſcibilia ⁊ ē
ratio quia facilius ad inuicē trā
ſeunt .i. facilius ſe tranſmutant
ſed multuꝫ a multo tardius hoc
operatur .i. tardius tranſmutat̄
ideo bene determinabilia .i. hu
mida que bene terminantur ter
mino alieno quia talia ſūt de nu
mero diuiſibilium ⁊ paſſiuoꝛum
⁊ ideo ſunt bene miſcibilia ⁊ ra
tio eſt quia hec facilius diuidun
tur in parua nam hoc eſt eſſe be
ne determinabile termino alieno
quod eſt in parua diuiſibile ⁊ ta
le eſt bene miſcibile ⁊ exponit ſe
dicens uerbi gratia humida de
numero coꝛpoꝛum ſunt maxime
miſcibilia naꝫ humiduꝫ eſt maxi
me terminabile ⁊ maxime de nu
mero diuiſibilium ita tamen ꝙ
ſi tale humidū non ſit vnctuoſū

.i. uiſcoſum unctuoſa enim non
bene miſcentur humidis vnde o
leum non bene miſcetur aque ſ;
ſupernatat ei ⁊ oleum cum aqua
non facit mixtionem ſed ſolum
facit ampliorem ⁊ maiore; tumo
rem .i.maiorem ⁊ ampliorem q̄
titatem quia plus accipit de lo
co humidu; ⁊ vnctuoſum q̄ hu
midu; ſolum ⁊ maiorem locum
optinet oleum ⁊ aqua ſimul q̄ a
qua ſolum Notandu; ꝙ oleū
⁊ alia vnctuoſa non bene miſcen
tur aque ⁊ alijs corporibus hu
midis triplici ratione prima eſt
quia in unctuoſis ſuphabūdat
humiditas aerea ideo talia ſuper
natant aquis ſicut aer aquam ex
cellit Secunda ratio huiuſmodi
vnctuoſa ſunt ualde uiſcoſa ideo
non ſunt bene diuiſibilia quia
partes eoru; minus conglutinan
tur ad inuicem ⁊ per conſequenſ
non ſunt bene miſcibilia Tercio
in huiuſmodi unctuoſis uident᷑
eſſe ampli pori imo propter mag
nitudinē poroꝝ dicunt quidā ſe
expertos eſſe ꝙ. ſi ponatur digi
tus in oleo bullienti ⁊ cito extra
batur inde leſuram non patitur
cum ergo in magnis poris ſit re
ceptio multi aeris quia aer na
turaliter ſupernatat aque oleum
ſuper aquam natat uidemus enī
ꝙ ex plumbo poteſt uas fieri ꝙ
propter incluſione; aeris innatat
aquis credo tamē ꝙ lixiuiū oleo
miſcibile eſſet quia propter ſui
ſiccitate; faceret euaporare ptes
aereas ꝓpter qđ oleu; cū lixiuio
mixtionem faceret licet aque ſim
plici oleū miſceri non poſſit

Quando autem. Oſtendit ꝙ
non ſunt bene miſcibilia ⁊ duo
facit quia primo facit quod dic
tum eſt . ſecundo epilogat circa
determinata ibi Manifeſtum igi
tur . Circa primum tria facit q:
primo proponit que nō ſunt miſ
cibilia. ſecūdo quod dixerat ma
nifeſtat per quoddam ſimile. ter
cio oſtendit utrum inter talia re
ſeruatur ei aliqualis mixtio. ſecū
da ibi Quedam enim . tercia ibi
Uidentur. Dicit ergo ꝙ ſi alte
rum miſcibiliū erit ſolū paſſiuū
aut erit uehemēter paſſiuū h᷒ au
tē .i. aliud miſcibile ē ualde parū
paſſibile tunc ex ambobus tali
bus aut nihil āplius .i. nihil pl᷒
erat mixtum aut parum inter ea
erit de mixtione ꝙ contingit cir
ca es ⁊ ſtangum ſtagnu; eni; eſt
ualde paſſiuu; es enim eſt modi
cum paſſibile ideo talia non ſunt
paſſibilia Quando enim .
Manifeſtat quod dixerat per ſi
mile nam ſicut quedam uocabu
la ab aliquibus balbutiūtur ad
inuicem itaq; balbucientes una;
litteram proferunt bene alia; ſed
ſolum ſecundum quemdam mo
dum ſonant ⁊ epafoteri;ant .i. an
ticipant uel ſunt anticipantia ut
habet alia littera balbucientes
enī anticipiant litteras quia an
teq̄ proferant bene primam acci
piunt ſecunda; eſt ergo intentio
philoſphi ꝙ ſicut coniunguntur
littere in ore balbutientis quia
una bene ſonatur alie aute; qua
ſi euaneſcunt ſic coniunguntur
ſtagnum ⁊ es quia ſtagnum qui
dem euaneſcit es autem manet ⁊
quod dictum eſt de ſtagno ⁊ ere
intelligendum eſt de quibuſlib;
miſcibilibus quorum unum eſt
multum paſſiuum aliud autem
paru; Uidentur. Oſtendit
utrū inter talia ſit aliqua mixtio

dicens ꝙ uidetur qualiter .i. ali qualiter mixta ſup̄ eſſe talia ſed remiſſe quia alterum in talibus eſt quaſi ſuſceptibile ⁊ ſubiectuꝫ alterum autem eſt quaſi ſpecies ⁊ paſſio ꝙ contingit in ip̄is me tallis preaſſignatis ſtagnuꝫ enim mixtum eri efficitur quaſi ens ali qua paſſio eris ⁊ efficitur quaſi ſine materia quia modicum ibi remanet de ſubſtātia ſtagni mix tum autem ſtagnum eri pene eua neſcit totum .i. totum ſtagnuꝫ ſo lum autem uidetur eſſe colorans es ⁊ dicit pene quia non euaneſ cit tota ſuſtantia ſtagni nec eua porat penit⁹ materia eius ſed ex quo remanet colorans es inter potos eris aliquid remāet de ſub ſtantia ſtagni hoc autem quod dictum eſt de ſtagno ⁊ ere cōtin git ⁊ in alijs ſi ſe habeant ſicut ſtagnum ⁊ es ꝙ vnum ſit multū paſſiuuꝫ ⁊ aliud paruꝫ Ma nifeſtuꝫ igitur. Epilogat circa de terminata dicens manifeſtuꝫ eſt ex hijs que dicta ſunt ꝙ eſt mix tio ⁊ quid eſt mixtio ⁊ quare .i. quomodo eſt mixtio ⁊ que de numero entiū ſūt miſcibilia quo niam ſunt ea que ſunt quedam qualia .i. contraria paſſibilia ad inuicem ⁊ bene determinabilia ſi cut ſunt humida ⁊ bene diuiſibi lia ſicut ſunt non unctuoſa nec uiſcoſa ⁊ manifeſtum eſt eſſe ne ceſſarium ꝙ hec miſcibilia quan do ſūt mixta nec eſſe ſimplr̄ cor rupta nec adhuc eſſe ſimpliciter eadem eadem dico que prius q̄ non manent in actu ſecundū eſſe etiam manifeſtum eſt mixtionem non eſſe cōpoſitionē neq̄ eſſe ad ſenſum tantum ſed ut dictuꝫ eſt miſcibile eſt q̄ocūq̄ bn̄ determi nabile ꝙ eſt ſimul actiuuꝫ ⁊ paſſi uū ⁊ dictum eſt non quodlibet eſſe miſcibile tali ꝙ eſt ei aliquo modo equatuꝫ in potentia ⁊ uir tute ⁊ habitum eſt ꝙ miſcibile ⁊ etiam ip̄m mixtum eſt omiomex .i. eiuſdem rationis in toto ⁊ in partibus quia quelibet pars mix ti eſt mixta Mixtio autem Ex predictis determinat hāc q̄ſ tionem quid eſt mixtio que in e numerando queſita fuit primo propoſita ⁊ ait ꝙ mixtio ē unio miſcibilium alteratorum Ad cuius euidentiam notandum ꝙ ſicut manent miſcibilia in mixto ſic uniuntur in eo non autem for maliter ⁊ in actu manent ſecun dum formam ſed manent ſecun dum uirtutem ſaluatur eniꝫ uir tus eorum quia manent ſecun dum qualitates actiuas ⁊ paſſi uas mixtum enim poteſt eſſe ac tu frigidum uel actu calidū nūq̄ tamen eſt actu ignis uel actu aq̄ formaliter ergo ⁊ in actu qualita tes prime reſeruantur aliquo mo do in mixto ſed formaliter ⁊ in actu forme ſubſtantiales elemē torum in mixto reſeruari nō poſ ſunt quia tunc mixtum non eſſet eſſentialiter aliquod vnuꝫ ⁊ que libet pars mixti non eſſet mixta utrum autem tales forme aliquo modo reſeruentur in mixto dice tur in declerationibus ⁊ etiaꝫ de hoc tangetur in ſecundo libro in illo capitulo de elementis autem ex quibus corpora cōſtituta ſunt nulli enim dubium eſſe debet ꝙ magis formaliter ⁊ in actu ſunt qualitates prime in mixto quia forme elementorum imo dicere poſſum⁹ ꝙ omes qualitates pri me quodammodo reſeruantur

in quolibet mixtio nam mixtum quia nec humiditatē habet nec ſiccitatem ſecundum excellentiā ⁊ in ſummo ſed habet tales q̄litates fractas ⁊ remiſſas aliquid participat de humido ⁊ ſicco ſic etiam quia nec habet frigiditatem nec caliditatem ſecundū excellentiam aliquid participat de calido ⁊ frigido ſi ergo miſcibilia non manent ſecundum ſubſtā tiam quia generatio ⁊ corruptio reſpiciunt ipſam ſubſtantiā mixtio proprie nec unio eſt miſcibilium generatorum nec corporum ꝑmo dicere mixtionem eſſe unionem miſcibilium corporū eſt dicere oppoſitionem in obiecto corrupta enim ſecundum ꝙ huiuſmodi non manent cū igitur mixtio non ſit miſcibilium unio niſi ut manent ⁊ ſunt in mixto cum nō ſint in eo nec maneant ut ſūt corrupta non eſt bene dictum ꝙ mixtio ſit miſcibilium corruptorū vnio ꝙ autem non ſit mixtio miſcibilium generatorum unio de leui patet quia ex mixtione non generantur miſcibilia ſed generatur aliquid comune ut ipm mixtum bona eſt ergo ſententia philoſophi ꝙ mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio nam cum alteratio reſpicit uirtuteſ ⁊ qualitates actiuas ⁊ paſſiuas quia ſecundū talia uniuntur ⁊ manent miſcibilia in mixto ideo ſecundū ꝙ hui⁹modi mixtio eſt vnio miſcibilium alteratorum Dicitur autem unio miſcibilium alteratorū ꝙ licet ſaluētur miſcibilia i mixto ſecundum uirtutes ⁊ ſecundū qualitates actiuas ⁊ paſſiuas nō tamen reſeruatur in eo ſecundū tales uirtutes excellēter ⁊ in ſummo ſed remiſſe ⁊ alterate ⁊ ideo eſt mixtio miſcibilium alteratorꝝ unio In hac autem declaratione ſi ē aliquid ꝓtermiſſum forte ſuo loco ſupplebitur alibi

Explicit primus liber de generatione ⁊ corruptione ſecundum dominum egidium Incipit liber ſecundus

E mixtione ⁊c. poſtq̄ phūs declarat de generatiōe ⁊ corruptione In hoc ſcōo libro i tēdit determiare ut diceba t̄ de natura generatorū ⁊ corruptorum generatio autem ⁊ corruptio naturaliter ineſt rebus propter naturam elementalē quidq̄d enim eſt naturaliter generabile ⁊ corruptibile uel eſt elementum uel elementatum nam qualitateſ

actiue ꝛ paſſiue ſine quibus non fit tranſmutatio ad formam per ſe ꝛ primo inſunt elementis ꝛ per ea inſunt elementatis Cum ergo phūs in hoc libro ſecundo determinat de generatione elementorū ꝛ elementatorum in quadam uniuerſalitate ut libri materia exigit quia talia ſūt nāliter generabilia ꝛ corruptibilia determinat hic de natura generatorum ꝛ corruptorum quia determinat hic de corporibus naturaliter generatis ꝛ corruptis Poſſumus igitur hunc librum continuare ad precedentem quia in primo libro determinauit phūs de generatione ꝛ corruptione ꝛ de alijs motibus ſimplicibus ꝛ de mixtione ꝛ de tactu ꝛ de actiōe ꝛ paſſione que deſeruiunt generationi ꝛ corporibus generatis ꝛ corruptis In pte iſta determinat de corporibus naturaliter generatis ꝛ corruptis Circa quod tria facit quia pmo continuat dicta dicendis . ſecundo aſſignat rationem eius quod dixerat .tercio exequitur de intēto .ſecunda ibi Generatio quidē tercia Horum autem .Dicit ergo ꝙ de mixtione ꝛ tactu ꝛ de facere ꝛ pati dictum eſt quomodo exiſtant tranſmutationibus ſecūdū naturam ꝛ hoc quantum ad ea que deſeruiunt tam generationi ꝙ corporib⁹ generatis Amplius autem dictum eſt de generatione ꝛ corruptione pro ut habet eſſe ſimpliciter ꝛ pro ut eſt aliqua ꝛ ſecundum quid et dictū eſt quomodo ꝛ propter quam cauſam generatio ꝛ corruptio ſūt in rebus ſimiliter etiam dictum eſt de alteratione ꝛ etiam ſup de augmento et dictum eſt etiam quid eſt alterari ꝛ quam differētiam habet eorum .i. dictum eſt que differentia eſt inter ea ꝛ dictum eſt etiam quomodo alteratio ꝛ augmentū ꝛ alia huiuſmōi differunt ꝛ quia hec tractata ſūt in primo libro In hoc ſecundo ē reliquū conſiderare illa que uocantur elementa de numero corporum Notandū autem dicta in primo libro reduci ad tria .ſ.ad generationem ꝛ corruptionem ꝛ ad ſimplices motus ut alterationem ꝛ augmentū ꝛ ad ea que deſeruiunt huiuſmodi tranſmutationibus ut mixtioni ꝛ tactui ꝛ facere ꝛ pati Generatio quidem. Aſſignat rationē dicti dicens ꝙ generatio ꝛ corruptio oibus ſubſiſtentibus ſubſtantijs.i. omnibus generabilib⁹ nō ineſt natura ſine ſenſibilibus corporibus.i. ſine elementis cū igitur per naturā elementi inſit naturaliter generatio ꝛ corruptio rebus quia in hoc ſecundo intendimus de natura generatorū ꝛ corruptorum dignum eſt ut conſideremus de generatione eorū que uocantur elementa Harū autem .Exequitur de intento ꝛ duo facit quia primo oſtendit quomodo generatio ꝛ corruptio ineſt naturaliter elementis Secūdo manifeſtat quomodo per elementa naturaliter ineſt elementatis ibi De elementis. Ad euidentiam autem prime partis notandum ꝙ elementa ſunt naturalit̄ generabilia ꝛ corruptibilia propter materiam ꝛ propter qualitates que ſunt principia elementorum ut ſunt tranſmutabilia ad inicē Tria autem facit phūs qꝛ pmo determiat de pricipijs elorū

Secundū ꝙ ſunt natu raliter ge
nerabilia ⁊ tranſmutabilia ad in
uicem Scđo ex huiuſmodi prin
cipijs determinatis oſtendit nu
merꝫ elementorum ⁊ manifeſtat
quot ſunt elementa Tercio deter
minat de naturali generatione ⁊
corruptione ipſorū elementorum
ſecunda ibi Quoniam qdeꝫ. ter
cia Quoniam autem. In determi
nando autem de principijs ele
mentorum ut ſunt naturaliter ge
nerabilia ⁊ tranſmutabilia ad in
uicem duo facit quia primo de
terminat de huiuſmodi pricipio
materiali. ſecundo de formali ibi
Determinatum. prima diuidit᷑
in duas quia primo determinat
de principio materiali ſecunduꝫ
opinionem aliorum. ſecundo ſe
cundū opinionem propriam ibi
Nos autem. Circa primum duo
facit quia primo narrat quid ſen
tierunt antiqui de principio ma
teriali. ſecundo ſpecialiter deſcē
dit ad opinionem platonis ibi
Ut autem in thimeo. Prima parſ
diuiditur in duas quia primo
narrat opinionem antiquorum.
ſecundo exequit᷑ de eis ibi Quo
niam quidem. Dicit ergo ꝙ hij
de numero horum antiquorum
inquiunt eſſe unam materiaꝫ ſub
iectam ⁊ hanc ſubiectam materi
am ſunt ponentes eam puta aerē
aut ignem aut aliquid medium
horum inter aerem ⁊ igneꝫ quod
medium dicebant eſſe corpus ⁊
ens ſeperabile a contrarietatibꝫ
hij autem ⁊ alij poſuerunt plura
principia materialia ꝙ̄ unum ⁊
ſibi fuerunt diuerſi quia quidā
poſuerunt duo ut ignem ⁊ terrā
hij autem. ſ. alij poſuerunt tria
quia. ſ. poſuerunt hec. ſ. ignem ⁊
terram ⁊ addiderunt tercium. ſ.
aerem alij autem poſuerunt qua
tuor quia poſuerunt hec. ſ. pre
dicta tria ⁊ addiderunt quartuꝫ
. ſ. aquam ut empedocles qui po
ſuit quatuor elementa eſſe princi
pia materialia ex quibus congre
gatiſ ⁊ ſegregatis ⁊ alteratis dice
bat contingere generationem ⁊
corruptionem in rebus

Quoniam quidem. Exequit᷑
de dictis opinionibus ⁊ duo fa
cit quia primo exequitur de po
nētibus plura materialia princi
pia. Secūdo de ponentibus unū
⁊ maxime de ponentibus illud
eſſe medium aliquod ⁊ ſeperabi
le ibi Sed facientes. Exequitur
ergo primo de ponentibus plu
ra materialia principia comēdan
do eos quantū ad aliqua dicens
ꝙ ponentes plura materialia pri
cipia ⁊ dicentes ea eſſe elemen
ta unde habent dicere quod ſit
cōfeſſū .i. id quod confitētur ēe
bene dictum confitebantur eniꝫ
ꝙ ex huiuſmodi elementis tranſ
mutatis per congregationem ⁊
ſegregationem uel ſecunduꝫ aliaꝫ
tranſmutationeꝫ contingebat ge
nerationem eſſe uel huiuſmodi
phi dicebant confeſſa quia ſalua
bant generationem ⁊ corruptio
nem que ad ſenſum confeſſa ſunt
eſſe. Notandum autem ī hoc
phōs male dixiſſe ponendo pri
ma principia materialia plura ēe
ſed ex quo ponebant eſſe plura
bene dixerunt quia ex tranſmu
tatione elementorum ſaluabant
generationem ⁊ corruptionem in
rebus hos autem phūs hic non
increpat quia per ea que dicta
ſunt in primo libro ⁊ dicentur in
hoc ſecundo ſatis appꝫ qꝛ oportꝫ

unam materiam eſſe omniuȝ ha bentium tranſmutationem ad ſe inuiceȝ Sed facientes. Exe quitur de facientibus unam ma teriam ⁊ maxime de ponentibus eam ſeperabileȝ increpando eos dicens ꝙ facientes unam materi am extra predicta elementa quia non ponebant eam eſſe aliquod elementorum cū ponerent hanc mā̃ȝ corporeā ⁊ ſeperabileȝ a con trarietate peccabant quia inpoſ ſibile eſt hoc corpus aliquod ſē ſibile eſſe ſine contrarietate quia aut erit leue aut graue aut calidū aut frigiduȝ neceſſe eſt ergo hoc infimuȝ.i.hoc materiale elemen tum quod dicunt eſſe principiū eſſe ſuꝑ cum contrarietate ⁊ non eſſe ſeperatū a contrarijs. No tandum autem ꝙ inter ceteros phōs antiquos iſti magis acceſ ſerunt ad naturaȝ materie In fū damento enim nature nihil eſt diſtinctum quia materia non eſt de ſe in actu aliquod contrario ruȝ ſed eſt in potentia ad utrum ꝙ ergo eo ipo ꝙ elemētis inſunt contrarietates ⁊ qualitates con trarie ⁊ hij non poſuerunt mate riam eſſe aliquod elementorum ſed poſuerunt eam eſſe mediam inter ea ut ſeperent ipſa a con trarietate multum appropinqua bant ad naturam materie defici ebant tamen in duobus. primo quia materia quantum eſt de ſe non eſt aliquid in actu quantuȝ cunqꝫ ergo dicerent materiaȝ eſſe medium inter elementa ex quo dicebant eaȝ eſſe corpus dicebāt eā eſſe aliqd in actu Secūdo defi ciebant qꝛ licet materia ſecundū ſe non ſit in actu aliquid tamen ſecundum eſſe quod habet in re

rum natura loquendo de mate ria horuȝ tranſmutabiliuȝ nunqꝫ eſt ſeperabilis a cōtrarietate pec cabāt ergo iſti tū quia ponebāt materiam eſſe corpus tū etiaȝ qꝛ dicebant materiam eſſe actu ſepe rabilem a contrarietate Notā dum etiam ꝙ hic ſpecialiter icre pat eos phōs ne aliqui crederēt eorum opinionem eſſe ueram eo ꝙ multuȝ accedebant ad naturā materie Notandum eſt etiam hos poſuiſſe principiū materiale et finitū.i.determinatum quia ex quo ponebant ipm ſeperatum a contrarietate non dabant ei ſpe cialem formam per quam deter minaret ⁊ in hoc male faciebāt nam licet materia de ſe ſit quid indeterminatum tamen ut habet eſſe ⁊ ut exiſtit in rerum natura ſemper determinatur per aliquā formam Ut autem Deſcen dit ſpecialiter ad opinionem pla tonis ⁊ circa hoc tria facit ſecun dum ꝙ tripliciter improbat euȝ in opinione ſua .ſecunda ibi Ne ꝙ utitur . tercia ibi Sed elemen tis .Increpat autem ipſum pmo de inſufficiētia quia idetermina te loqutus eſt dicens ꝙ illud qō ſcriptum eſt a platone in thimeo nullam habet determinationem .i. inſufficienter ⁊ inmaīfeſte dic tū ē quia nō dixit maīfeſte qūo pandoſſes.i. materia que eſt re ceptaculuȝ omniuȝ ſeperatur ab elementis ⁊ quomodo eſt in po tentia ad ea non enim declarauit ea que declaranda ſunt de mate ria Neqꝫ utitur . Increpat platonem quia non fuit uſus ma teria ut debuit poſuit enim uel oportebat eum ponere ſecunduȝ dicta ſua materiā eſſe ſcōȝ ſe eſſe

aliquid in actu ⁊ duo facit quia
pꝛimo facit quod dictum eſt Se
cundo manifeſtat quod dixerat
ibi Sed tamen. Dicit eniꝫ ꝙ ne
ꝗ utitur nihil .i. in nullo utitur
materia ſup̄ ut debet dicit enim
materiam ita pꝛius exiſtere ⁊ eſſe
tamꝗ̄ ſubiectuꝫ aliquid uocatiſ
elementis ut aurum ſubicitur o
peribus aureis ſꝫ certe ⁊ hoc qd̄
hoc modo dictum eſt non bene
dicitur ſed ea quoꝛum eſt altera
tio ita ſe habent ſed de eiſ quoꝝ
eſt generatio ⁊ coꝛruptio impoſ
ſibile eſt iſtud enunctiari uidelicꝫ
ꝙ ſubiectum ex quo generatum
eſt ſit aliquid in actu ⁊ ſe habe
at ſicut aurum ad opera aurea.

Sed tamen ⁊c̄. Manifeſtat
quod dixerat dicēs ꝙ unūquod
ꝗ artificialiuꝫ longe.i. multo ue
rius eſt dicere eſſe aurum ꝗ̄ eſſe
quid artificiale ⁊ hoc plato inq̇t
.i.concedit ⁊ confitetur de arti
ficialibus eniꝫ uerius ⁊ ſubſtan
tialius pꝛdicatur materia ꝗ̄ ali
ud quia tota ſubſtantia artificia
lium eſt materia ⁊ omnes foꝛme
hoꝛuꝫ ſunt accidentia ſi ergo hec
plato inquid ⁊ confitetur opoꝛ
tet ſecundum euꝫ totam ſubſtan
tiam elementoꝛum eſſe materiaꝫ
⁊ foꝛmam elementoꝛū accn̄a eſſe
ad quas ſe habet materia ſicut
aurum ad opera aurea generatio
igitur erit alteratio ⁊ materia ſe
cundum ſe erit aliquid in actu ⁊
erit tota ſubſtantia rerum natu
ralium quod eſt inconueniens.

Sed elementis. Increpat ↄ̇cio
plonē qꝛ uidebatᷣ uelle ꝙ mate
ria eſſet ipa ſuperficies dicens ꝙ
elementis entibus ſolidis plato
facit diſſolutionem .i. diſſoluit e
lementa uſꝗ ad planiciem igitur
planicies eſt idem ꝙ materia cū
ad eam ſtet reſolutio ultima coꝛ
poꝛuꝫ ſed inpoſſibile eſt materiā
pꝛimam quam dicimus eſſe ma
trem nutricem ⁊ receptaculum
foꝛmaꝛum eſſe plenam ⁊ eſſe ideꝫ
quod ſuperficies Nos au
tem ⁊c̄. Determinat de materia
li pꝛincipio ſecundum opinionē
pꝛopꝛiam dicens nos autem diti
mus eſſe unam aliquam materiā
ſenſibilium coꝛpoꝛuꝫ contra eos
qui ponebant plura pꝛincipia ⁊
hanc materiam dicimus non ſe
perabilē a contꝛarijs ſed ſemper
eſſe cum contrarietate ex qua ge
nerantur uocata elementa ⁊ hoc
cōtra eos qui licet ponerent ma
teriam vnam ſiue materiale pꝛin
cipium vnum ponebant tamen
ipm ſeperatum a contrarijs.

Notandum ꝙ elementum ut
pꝛobatur in quinto metaphiſice
per ſe ⁊ pꝛimo dicitur de mate
ria pꝛima quia elemētū eſt illud
ex quo res componitur pꝛimo ⁊
eſt in eo ⁊ non diuiditur ſecundū
foꝛmam ut in eodem quinto di
citur que pꝛopꝛie non competūt
niſi materie p̄me ideo phūs ignē
aerem ⁊ aquam dicit eſſe uocata
elementa quia eis non competit
nomen elementi pꝛop ꝛie ⁊ p om
nem modū ꝙ quomodo uerum
ſit infra patebit ſed tamen comu
